

Celebri nuptiarum  
festivitati, clarissimi  
atque spectatissimi viri  
dn. M. M...

*1 Ic 1663 Miltopaeus, Martini*



National Library  
of Sweden

45  
Celebri Nuptiarum Festivitati,

Clarissimi atque Spectatissimi VIRI

5

DN. M. MARTINI  
Æ. MILTOPÆI

Professoris Eloquentiæ in Regiâ Academiâ  
Aboënsi pereximij,

SPONSI;

Deo Duce ac Auspice

Cum

Castissimâ Lectissimâq; VIRGINE

ANNA Thesleff /

Consultissimi Prudentissimiq; Viri

DN. PETRI Thesleff / Regij Dicasterij in  
magno Ducatu Finlandiæ Assessoris dis-  
gnissimi, Filiâ,

Die 5 Martij Anni 1663 solenni ritu, Aboæ  
matrimonium contrahentis;


H Y M E N Æ U S

In felix omen faustumq; conjugij auspiciam à di-  
scipulis quibusdam & patriotis officio-  
sissimè consecratus.

A B O Æ,

Excusus à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

1663



**F**ortè Venus tacitâ lustrans indagine terras,  
Viderat in celso Parnassi culmine, sacros  
Ad latices MILTOPÆUM; mox ferbuit irâ  
Et nulla est, inquit, nostri reverentia? nullum  
Legibus obsequium, naturæ legibus inquam,  
Quas violâsse nefas? quid Dux Parnassius ille?  
Sic Musas colet æternùm? sic spernet amores?  
Sed prius ukiscar. Puer ô pharetrate Cupido,  
Auratas properante manu deprome sagittas;  
Atq; citus, quò fata vocant, quò vellerâ ducunt,  
Quæ triplices nevere Deæ, te confer in ædes  
Insignis pietate Viri, meritùmq; celebris  
Laude, PEIRI Thebes; acresq; accendito flammâs  
Ex oculis ANNÆ morum splendore coruscis;  
Hinc stimuli surgent, dignè qui pectora vexant.  
Sic Venus: & dicto citius volat ille, reditq;  
Virgineo referens armatas igne sagittas:  
Corripit ex humeris arcum, nec multa moratus  
Tela parata viro totos demittit in artus,  
Et ferit internas trajecta per ossa medullas.  
Virginis ille statim magno flagraverat æstu,  
Nec novus unde calor, nec quid suspiria vellent  
Noverat incipiens, & adhuc ignarus amandi.  
Nil juvat Aonidum cœtus, mens omnis aberrat

In vul-

In vultus quos fixit Amor; gemitusq; subinde  
Erumpunt, nullisq; minor fit questibus ardor.

At verò ut vidit speratæ lumina Nymphæ  
Speratosq; orbes oculorum, & mellea labra,  
Confestim dubiæ federunt pectoris undæ,  
Tempestatq; animi refugit; mox munera mittit  
Virgini, eamq; cupit Sponsam, potiturq; cupitâ.

Jamq; dies aderat tædis addicta sacratis;  
Et vix prima novo spargebat lumine terras  
Titoni eroceum linquens Aurora cubile:  
Cum novus auditur sonitus, cum Castalis unda  
Perstrepat, & læto resonant modulamine montes.  
Mox Phæbi delubra patent, & Delphica rupes  
Panditur, ac cellâ decedunt rupe sorores  
Aonides pariter, Charitesq; & divus Apollo,  
Lætantur, thalamisq; parant pia dona futuris,  
Cantibus applaudunt teneris, sociasq; choreas  
Plausibus adjungunt; pariter resonabilis Echo  
Multiplicat sonitus, geminataq; gaudia reddit.  
Quin & Pierij gaudens quoq; fontis Alumnus  
Sponte suum dictis affatur talibus agmen:  
Ærumnas, nostri comites, arcete parumper,  
Lætitiæ quò corda vacent; solvantur habenis  
Gaudia, nec leges pudeat ridere severas.  
Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores,  
Elige, tu duplices concordia nocte coronas;  
Nocte pio Sponso, Sponsæ quoq; nocte pudicæ,

Præclaro Insigniq; pari. Sic turba novena,  
Sic thalamis, Charitesq; , tuis Clarissime Sponse  
Lætantes bona cuncta vovent. Et nos erit æquum  
Lætitiâ gaudere tuam, communia vota  
Fecimus & libum sacris admovimus aris,  
Miscuimusq; preces calido de pectore fusas;  
Ut Pater omnipotens, qui primus fœdera sanxit,  
Ominibus faustis det jungi pectora vestra.  
Ut lætam sobolem, pariles ut donet amores,  
Et tandem senio fessis cœlestia Tempe.

*Ita Clariss. novis conjugibus submisit  
& ex animo applaudebat*

**Henricus Blandf**  
Aboensis.

---

*S*edulus ex animo gaudens exultat arator,  
Debita facundo qui semina credidit arvo,  
Et videt ex illo sat larga redire laborum  
Præmia, fessâ quibus possit sua membra levare:  
Sic quoq; præcellens Sponsus nunc credidit arvo  
Semina Thespiadum: cupiens primordia mundi  
Discere, quid Deus? unde nives? natura docebat  
Quid? rerum causas? qua sidera lege mearent?  
Hunc dux Thespiadum cernens, mox talis fatuit:  
Quis novus hic nostris sulcis successit arator?  
Impiger ex animo terram qui vertit aratro:  
Præmia pro meritis condigna huic ferte sorores,  
Quæ dicto citius modò iussa capescere pergunt  
Et dicunt: Vir Clare, ibit tua fama per orbem,  
Ornabuntq; caput lauro mitraq; micanti.

Doctus

Doctorem in Cathedram ponunt sedemq; Sophia.  
Atq; novem Nympha lactarunt nectare Dulci,  
Latitia ut sciret dulces sub pectore motus.  
Insuper ac ipsi multis quoq; fausta precantur,  
Consortem Thalami similem probitate marito,  
Fidam, latitias Dulces, qua dulcibus addat.  
Hinc abiens venerem optatam sibi querere capit,  
Occurrit Thepsiloff Thalamo dignissima virgo,  
Virgo puellares inter pulcherrima catus  
ANNA Venusta venit multos optata per annos;  
Quam pudor & pietas ornant, morumq; probata  
Integritas, celebri virgo sat digna marito.  
Ergo Castalides mecum concludite voto  
Uno bina toro caleant ut pectora lata,  
Exornetq; rosis genialem gratia lectum,  
Scilicet ut natos natorum & pignora multa  
Ante pedes videant saltantes tempore longo,  
Ut quoq; post obitum pateant his atria caeli.

Debiti obsequij & grati animi con-  
testandi ergo addidit

Jacobus N. Simolenius  
Aboensis.

---

Littore se postquam genitor Phaëtonius Indo  
Tollit, & auricomo collustrat lumine mundum,  
Parnassi tacitus me culmina visere montis?  
Exstimulabat amor, sacrata palatia Phæbo.  
Scilicet ut quis rupis honor cognoscere possem,  
Quisve labor fuerit doctis Heliconis alumnis?  
Ecce nitent cultu insolito fastigia rupis  
Condecorata, chelys cunctis animata camænis.  
Lata modum supra mox rebar pectora divum.

Atq; ubi Marmoreo musæ federe recessu,  
 Celsior ipse loco, velatus tempora lauru  
 Sacrata Phæbus, qui postquam voce manuq;  
 Nescio quæ, divum compressit murmura, cunctum.  
 Subsistit subitò pressum gravitate regentis.  
 Sedulus ausculto quid tandem hinc fiat: Apollo  
 Incipit & tali sermone silentia rumpit:  
 Exoptata diu croceis investa quadrigis  
 Lux, tandem auricomum nitido caput extulit ortu,  
 Qua Patriæ decus eximium celebrisq; Professor,  
 MILTOPÆUS, init casta cum virgine Teseff/  
 Sacrum conjugij foedus; nunc ergo sorores,  
 In mentem subeat vobis labor improbus ejus.  
 Et fervor, quo vos coluit noctesquè diesquè,  
 Dum studuit clarus doctrina evadere & arte.  
 In mentem revocate viri facta inlyta vobis,  
 Quaquè docet pubem Musæam dexteritate,  
 Cernite prælarum doctrina pectus & arte.  
 Præterea & Sponsæ virtus qua prædita fulget,  
 In candelabro sacrato lampadis instar,  
 Vos nunc commoveat celebratum carmine Sponfos  
 Faustaq; devoto votum de pectore cuncta.  
 Hæc ubi finierat; respondent talibus illæ:  
 Si quid Pierijs nobis est carmen in antris,  
 Quo possunt Sponsis felicia jura voveri  
 Conjugij, nunc promemus, namq; exigit illud  
 Et Sponsi & Sponsæ virtus super æthera nota.  
 Præcine nunc ergo, Musarum succinet ordo.

APOLLO.

Sydere quo fausto socialia foedera pangas?  
 Virgine cum casta voveo præclare Professor.

Musa

M U S Æ

Mutuus adsit amor Sponsis, lis omnis abesto,  
 In Pylis vivant secula longa senis.  
 Nupta torum reddet numerosa prole beatum,  
 Sitq; viro blanda & morigera usq; suo.  
 Vix ubi dixissent votum, campana boatu  
 Rauco dat signum præsens jam tempus adesse,  
 Ad sacra festa tori quo se conferre vocati  
 Deberent, mox rellinqvunt juga frondea rupis  
 Illuc vasura Musa, lituisque lyrisque  
 Instructa, quibus exbilarent Hymeneja sacra.  
 Mox & ego capi gressus iterare relictos,  
 Gaudia sub tacito concepi pectore magna,  
 Et Sponso grator formosa uxore potito,  
 Hac ope divina certe tibi contigit uxor;  
 Qua sit forma vides; quam rara modestia frontis  
 Nullius virtutis egens, est prædita cunctis.  
 Quanto splendidior quam cætera sydera fulget  
 Lucifer, & quanto quam Lucifer aurea Phoebe  
 Tanto virginibus præstantior omnibus hac est.  
 O te felicem tam pulchra conjuge Sponsum.  
 Te quoq; felicem multum depradico Sponsa  
 Præclarum quæ nacta virum celebremq; Magistrum.  
 Ergo Deo grates pro munere solvito tali,  
 Utere conjugio, complexibus utere Sponsi,  
 Ut reddas illum speciosa prole parentem.  
 Ambos vos tandem Christus deducat ad astra.  
 Sic precor & voveo, voto Deus applicet aurem.

ISAACUS FLORINUS.

Conjux casta, Dei munus, lux, vita, mariti,  
Prolis origo, tori nobile depositum.  
Directrixq; domus res lætas suaviter ornans  
Adversa q; levans. Anteit orbis opes.  
Anteit orbis opes pretiosas uxor honesta,  
Felicemq; suum reddit amata virum.  
Es nimium felix ergo præclare Professor  
MILTOPÆE chori gloria Pierij.  
Finnoniæq; decus, nam tali uxore potiris  
Hæc temet vita duplici nupta beat.  
Ergo tibi felix voveo præclare Professor  
Conjugium, votis annuet ipse, Deus.

Petrus H. Koltman.

---

Sponsa tua est multis gemmis præstantior usu,  
Quæ tibi nunc faustis jungitur auspicijs.  
Hanc genus & virtus & pulchra gratia formæ  
Ornant ingenua cum pietate fides.  
Gratulor ergo tibi, quod votis contigit uxor,  
Conjugijq; simul fœdera sancta precor.

Gustavus Johannis Collinus  
Tavastia Pelkenensis.

